

**REKOPISY BOŻOGROBCÓW NYSKICH (ŚLĄSKICH)
Z OSTATNIEJ ČWIERCI XVII WIEKU**

**OPRACOWAŁ I DO DRUKU PODAŁ
KS. KAZIMIERZ DOLA**

LUBLIN 1992

WSTĘP

Dzieje kanoników regularnych Stróżów Grobu Chrystusowego zwanych też krzyżakami z podwójnym czerwonym krzyżem, zaczynają się na Śląsku z początkiem XIII wieku. Założeni w 1114 r. w Jerozolimie, zatwierdzeni w 1122 r. przez pap. Kaliksta II, bardzo wcześnie, bo już w 1163 r., przybyli do Polski i osiedlili się Miechowie koło Krakowa. Fundatorem tego klasztoru był Jaksza z Miechowa. Zakon cieszył wielką popularnością, powstawały liczne placówki w różnych dzielnicach Polski, tym bardziej że bracia podejmowali zazwyczaj pracę szpitalną¹. Z Miechowa przybył też pierwszy konwent na Śląsk - do Nysy: w 1239 r. miechowici objęli tu, w późniejszej stolicy księstwa biskupiego, szpital NMP ufundowany około 1230 r. przez biskupa Wawrzyńca². Na terenie diecezji wrocławskiej powstały jeszcze dalsze domy: św. św. Piotra i Pawła w Raciborzu (1295), św. Barbary w Dzierżoniowie (1315) i św. Jerzego w Ząbkowicach Śląskich (1319), były one związane ze szpitalami i stanowiły prepozytury afiliowane do macierzystego Miechowa³. Około 1335 r., z chwilą gdy Śląsk za Kazimierza Wielkiego także prawnie, a nie tylko faktycznie, włączony został do ziem korony czeskiej, wymienione domy śląskie podporządkowane zostały bogatemu klasztorowi św. św. Piotra i Pawła na Zderazu w Pradze, najstarszej prepozyturze bożogrobców w Czechach. Została ona jednak w 1420 r. prawie całkowicie zniszczona przez husytów, a uposażenie sekularyzowane. Żył w niej do XVIII w. tylko dwóch braci. Tak więc od XV w. dom i szpital w Nysie, jako największy i najlepiej uposażony, stał się domem prowincjalnym. Ta pozycja prepozyta nyskiego potwierdzona i umocniona została z końcem XV w. Mianowicie w 1489 r. Innocenty VIII wcielił zakon krzyżaków Bożego Grobu do rycerskiego zakonu joannitów, mimo że liczył wówczas 2080 członków w około 200 domach. Bulla ta nie została wykonana w krajach Europy środkowo-wschodniej. Przełożony domu nyskiego został prepozytem generalnym dla wszystkich placówek bożogrobców na terenie Śląska, Czech i Moraw.

W następnych stuleciach prepozytura nyska przechodziła różne koleje i w samym mieście zmieniała miejsce i zabudowania: ze Starego Miasta, swej pierwotnej siedziby, zakonnicy przenieśli się razem ze szpitalem po zniszczeniach

¹ F. Gawroński, Kanonicy Regularni w Polsce. II. Stróże Św. Grobu Jerozolimskiego, w: Encyklopedia Kościelna, red. M. Nowodworski, Warszawa 1876, IX, 464—474; M. Tobiasz, Bożogrobcy w Miechowie, *Nasza Przeszłość* 17(1963), 8; J. Reychman, Klasztor w Lendaku i jego przynależność do opactwa miechowskiego, *Nasza Przeszłość* 19(1964), 34.

² W. Herrmann, Zur Geschichte der Neisser Kreuzherren vom Orden der regulierten Chorherren und Wächter des Heiligen Grabes zu Jerusalem mit dem doppelten roten Kreuz, Breslau 1938, 43—49.

³ K. Dola, Szpitale średniowieczne Śląska, *Rocznik Teologiczny Śląska Opolskiego*, 1(1968), 248.

w okresie wojen husyckich w obręb murów, a potem usadowili się na Rynku Solnym. Gdy w 1622 r. biskup wrocławski Karol Habsburg sprowadził do Nysy jezuitów i zaplanował powołanie tu uniwersytetu, upatrył sobie dla tych budowli właśnie Rynek Solny. Konwent bożogrobców, który liczył wówczas zaledwie czterech członków, musiał przenieść się do starych, podupadłych zabudowań przytułku i kościoła św. św. Piotra i Pawła⁴. Jako odszkodowanie otrzymał pięć tysięcy florenów. W tym samym czasie o jurysdykcję nad prepozyturą nyską upomniął się polski prepozyt generalny z Miechowa - biskup Maciej Lubiński. Nysa obroniła jednak swą autonomię i niebawem nastąpiło odrodzenie wewnętrzne i liczebne konwentu. Wyrazem tego jest opracowanie — w oparciu o sugestie domu miechowskiego — nowych statutów, które uchwalone zostały i przyjęte na kapitule generalnej w Nysie 16 października 1675 r. Dalszym przejawem odnowy są też projekty budowy nowego, okazałego klasztoru i szpitala oraz pięknego, barokowego kościoła św. św. Piotra i Pawła. Zrealizowano te zamierzenia w latach 1710—1730. Podniosła się liczba członków konwentu nyskiego: w 1675 r. było około 15, w 1718 r. — 21 zakonników⁵. Około 1690 r. joannici raz jeszcze wystąpili z propozycją unii obydwu wspólnot, do czego jednak nie doszło.

Kres istnieniu bożogrobców na Śląsku położyła wielka sekularyzacja przeprowadzona w Prusach w 1810 r⁶. Urzędnicy Głównej Komisji Sekularyzacyjnej w listopadzie tegoż roku przejęli i zabezpieczyli budynki i cały majątek⁷. Wartościowe i cenne przedmioty: obrazy, dużą część biblioteki oraz archiwum, przewieziono do Wrocławia i włączono do tamtejszych zbiorów państwowych, a tylko niewielką część archiwaliów przyjęło Archiwum Archidiecezjalne⁸. Wśród obrazów miały być dwa płótna Rubensa: zdjęcie z krzyża i Maryja z Dzieciątkiem w stajence⁹. Kościół Piotra i Pawła stał się ośrodkiem duszpasterskim — kuracją, a w zabudowaniach szpitalnych najpierw umieszczono księży emerytów, a w 1819 r. urządzono tu książecko — biskupi dom opieki dla starców i sierot oraz szpital. Rozbudowywany sukcesywnie pod administracją sióstr miłosierdzia św. Karola Boromeusza pełnił swoje zadania społeczne do 1947 r. Trzy lata później administrator apostolski Śląska Opolskiego ks. Bolesław Kominek kościół i zabudowania przeznaczył na Wyższe Seminarium Duchowne dla Opolszczyzny i tej instytucji służą one do dnia dzisiejszego.

⁴ F. C. A. Fuchsz, *Series praepositorum Nissenisium*, w: *Scriptores rerum silesiacarum*, hrsg. G. A. Stenzel, Breslau 1839, II, 411 n.

⁵ Tamże, 437, 445.

⁶ P. P. Gach, *Kasety zakonów na ziemiach dawnej Rzeczypospolitej i Śląska 1773—1914*, Lublin 1984, 76 n.

⁷ K. Pawlik, *Dzieła sztuki w klasztorze bożogrobców nyskich w początkach XIX wieku*, *Studia teol.-hist. Śl. opol.* 12(1987), 312 n.

⁸ Zob. zestawienie: Hermann, dz. cyt., 5—15.

⁹ [Rathsmann], *Fragmente aus der Geschichte der Klöster und Stiftungen Schlesiens*, Breslau 1811, 304.

Wśród archiwaliów szpitalnych z lat 1812—1947, które szczęśliwie przetrwały działania wojenne, znalazło się kilka poszytów pochodzących z czasów bożogrobców, z XVII i XVIII w. dotyczących życia konwentu. W czasie sekularyzacji zostały one albo przeoczone, albo uznane za nieważne, lub też ostatni prepozyt trzymał je u siebie. Są to: oryginał statutów uchwalonych w 1675 r. opatrzony suchą pieczęcią prepozyta oraz jego i 20 ojców podpisami; obrzędy obłóczyn i przyjmowania do nowicjatu; teczka korespondencji i luźnych kart (m.in. kwestionariusz w sprawie połączenia z joannitami, bez zakończenia); poszyt zatytułowany "Constitutiones Generalis Capituli Miechoviensis. Declarationes supra Regulam s. Augustini. Methodus Institutionis Novitiorum. Neiss". Górna część tego ostatniego rękopisu jest uszkodzona na skutek wilgoci, brak 1—2 wierszy. Znajduje się tu pięć instrukcji dla nowicjuszy (A — E) pisanych po łacinie oraz dwie znacznie obszerniejsze niemieckie (F- G). Teksty te pisane są różnymi rękami i w szczególności różnią się nieco, pisane były widocznie przez kilku kolejnych mistrzów nowicjatu. Nie są one datowane, ale powstały zapewne w końcu XVII w. (1690—1700), te bowiem daty nosi kilka wszytych tu wstępnych oświadczeń nowicjuszy dotyczących ich pochodzenia, zdrowia, wolnego stanu. Na dwu luźnych kartkach zebrano cytaty odnoszące się do nowicjatu i nowicjuszy z kilku podręczników. Sądzić można, że w oparciu o nie przygotowano instrukcje i prowadzono zajęcia: Jodok Lorichius, *Thesaurus novus utriusque theologiae theoreticae et practicae*¹⁰; Henryk Canisius, *Summa juris canonici*¹¹; Bartłomiej Fuma, *Summa casuum conscientiae Aurea Armilla*¹².

W omawianym poszycie znajduje się też "Modus suscipiendi sorores ad Ordinem Poenitentium Sanctimonialium Btiae Mariae Magdalenae" z niemieckimi rubrykami i krótkimi przemówieniami do profesek. Magdalenki miały swój klasztor w Nysie w latach 1716—1810 i prawdopodobnie bożogrobcy wykonywali tam posługę duszpasterską. Ostatnią częścią rękopisu jest obszerna "Norma electionis abbatialis prouti Anno 1726 Die 15 Januarii habita fuit Sagani". Sposób wyboru opata w klasztorze kanoników regularnych w Żaganiu stał się więc wzorcowy dla bożogrobców.

Niektóre z powyższych tekstów podano tu do druku. Wydaje się, że są one dobrymi informatorami nie tylko o normach ogólnych, którymi w codziennym życiu klasztornym kierowały się konwenty bożogrobców śląskich w ostatnich 150 latach swego istnienia w diecezji wrocławskiej, ale mówią także o konkretnym stosowaniu tych norm, przynajmniej przez nowicjuszy.

¹⁰ J. Lorichius (ok. 1540—1613), profesor uniwersytetu we Fryburgu Br., potem kartuz. Zob. LThK VI (1934), 647.

¹¹ H. Canisius (+1610), kanonista i historyk, profesor w Ingolstadt. Zob. LThK II(1931), 727.

¹² B. Fuma (+1545), moralista, dominikanin. Zob. LThK IV (1932), 232.

**I. DECLARATIONES SUPRA REGULAM SANCTI LEGISLATORIS
NOSTRI AUGUSTINI EP. CONFIRMATAE ET PUBLICATAE
IN CAPITULO GENERALI ANNO 1675 DIE 16 JANUARI**

Constitutio prima agit de officio Praepositi Generalis

Boni pastoris officium est praecedere, ovium autem sequi, ideo necesse est, ut Praepositus Generalis a se ipso reformationem incipiat et memor vocationis suae, vitam suam ex praescripto Regulae et Constitutionum Ordinis ita instituat, ut reliquis membris sit ad omnem virtutem et perfectionem exemplo et incitamento.

Circa ecclesiam suam resideat et ab ea (causa legitima excepta) se non absentet, praesertim vero solemnioribus festis diebus anni. Communi vitae cum Fratribus asvescat et cum illis in choro, capitulo, refectorio (saltem dominicis et festivis diebus quanta per alias occupationes licebit) sit frequens eosque debito honore et amore prosequatur.

Mensa frugali (in absentia praesertim hospitum) convenienti tamen statui suo contentus sit. Habitum decentem, non tamen superfluum, Cruce geminata pendula (ex praescripto Ordinis) insignitum deferat. Bonorum et patrimonii Conventus meminerit se non dominum, sed administratorem et dispensatorem esse, ac proinde reditque illorum superfluis sumptibus non exhauriat, sed quidquid sustentationi ipsius et Fratrum convenienti superfuerit, id in utilitatem Ecclesiae, domus et exsolutionis debitorum convertat. (1)

Beneficia et Praeposituras ad conventum Nissensem pertinentes, nemini alteri, praeterquam ejusdem Ordinis presbiteris professis, idque juxta praescriptum Generalis Capituli celebrati Nissae 11 Februarii A. 1667 facta prius collatione seu consilio cum capitulo domestico et deputatis consiliariis, idem observabitur in privatione seu depositione a tali beneficio.

Debitum numerum religiosorum ad explendas Fundatorum pias intentiones in Conventu pro posse foveri curabit.

Maxime autem attendere debet, ut omnes fratres curae suae commissi vocationi suae religiosae respondeant et ut ea, quae in Regula et his Constitutionibus Ordinis praescribuntur ad amussim observent. Atque ejus rei causa ipsum monasterium saepius, reliquas autem ecclesias eidem annexas, quolibet anno per se, aut si legitime fuerit impeditus, per deputatum commissarium visitet et ea quae depravata repererit reformare et in spiritu lenitatis corrigere studeat.

Capitula generalia exemplo aliorum religionum recte institutarum singulis trienniis (nisi aliquod legale obstiterit impedimentum) Nissae habeat et in iis de disciplina regulari instituenda et de moribus depravatis corrigendis cum fratribus Ordinis maturiori judicio praeditis, consilia conferat.

Cum vero ad propagandum dilitandumve hunc sacrum Ordinem nihil conducibilius videatur, quam praeposituris (puta Rattiboriensi et Reichenbachiensis) quas revssmus Dominus Generalis hactenus per administratores suos gubernavit, prospiciatur de condignis praefectis et praepositis, proximo quoque tempore agendum erit, ut id modo dicto in effectum deducatur, reservato sibi titulo supremi praepositi loci. Praeterea stabit in voluntate, discretione et prudenti provisione

Rvssmi Domini Generalis cum consilio consiliariorum dictis praepositis adjungere (2) unum vel plures (prout necessitas temporis vel facultas domus patietur) fratres eos revocandi alios substituendi atque alia agendi, quae apud alios religiosos, tam de jure quam consuetudine hactenus sunt et erunt in usu.

Idem intelligendum est de moderno praeposito Pragensi in Zderas: et licet illi de facto ultra unum fratrem, qui cum illo conventualiter cohabitaret, ob tenuitatem intradarum adjungi non possit, subjiciendi tamen illi qua fratres de familia domus Pragensis erunt aliqui de beneficiatis in Regno Bohemiae commorantes, qui illum pro temporario suo superiore agnoscentes, ad ejus jussa et mandata obedientes, officium boni et religiosi viri praestabunt, atque vitam regulae Ordinis et Constitutionibus conformem vivent. Eorum revocatio et immutatio nihilominus apud Reverendissimum Dominum Generalem et ipsius consiliarios semper stabit.

In omnibus denique actionibus talem se exhibeat, ut quemadmodum dignitate aliis praestat, ita iisdem sanctitate et odore bonorum operum praecellat.

Porro cum experientia hactenus edocti simus, multos abusus in distractione rerum mobilium post obitum Reverendissimorum DD. Generalium per fratres committi solitos, ideo huic malo, ne in posterum fiat, obviare volentes, statuimus et decernimus, idque sub poena excommunicationis majoris, per religiosos hujus Constitutionis violatores ipso facto incurrenda, ut morte Praepositi Generalis interveniente, quidquid ultra ordinationem, quae illi tamquam praelato de jure communi quoad pias causa competit, funere et familia expeditis, aere alieno, si quod defunctus conflavit, soluto, tam ex pecunia, quam ex suppellectili reliquum fuerit, id totum hoc modo distribuatur. Pecunia quidem tam parata, quam in nominibus existens et omnis pretiosior suppellex utpote aurum, argentum, libri, tapetes, aulea, imagines, vestes pretiosiores etc, in certo cubiculo sigillo conventus (3) obsignentur et successori legitimo conventive reserventur. Veste vero viliores et reliqua minuta suppellex in usum fratrum, arbitrio custodis et consiliariorum (ante quorum praesentiam res derelictae a nemine attractari debent) dividenda cedant. Tandem statim post mortem Reverendissimi Domini Generalis fiat Capitulum et in eo ex omnibus a fratribus eligatur unus in administratorem, qui bona et proedia sede vacante administret, curam conventus habeat, atque omnia ita gubernet et regat, ut meminerit se Deo futuroque successori rationem administrationis redditurum.

Constitutio secunda. De Officio Custodis et Vice Custodis

Custos cum totius Regularis disciplinae tutor et director esse debeat, ideo serio hortamur ipsum, ut juxta praescriptum hujus Constitutionis in exsequenda Regula et statutis Ordinis sit fervens et ea omnia, quae ad observationem votorum essentialium et Regularis disciplinae pertinet, diligenter a fratribus adimplenda curet eosque ad studia sacrarum litterarum, legendos casus conscientiae, pias meditationes, ac ad perfectionem omnium virtutem non tantum admonitionibus, sed multo magis exemplo suo invitet. (4) In choro dum officium divinum decantatur, nisi legitime fuerit impeditus, sit semper praesens et ut horae canonicae devote et ordinate legantur, decantentur, cultusque divinus nulla in re negligatur, sedulo attendet.

Officia SS. Patronorum Ordinis, prout ab antiquo et in nostris provinciis et in Polonia observata fuerunt ita et pro nunc ab omnibus recipienda et eadem diligentia in posterum observanda decernimus. Et licet ex defectu subditorum parochianorum (respective) id est extra domunculum aedibus ecclesiae annexam, atque inquilinos servosque conventus Nissae nullam habeat curam animarum, quia vero charitas proximi et salus animarum urget nos, ut ad modum aliorum religiosorum, esurientibus frangamus panem, ideo custos curam diligentem gerat, ut per diligentiores et peritiores Fratres ad hoc specialiter deputatos, sacramenta tam prompte, quam pie, provideque petentibus administrentur.

Nullum autem ex fratribus ad audiendas confessiones deputabit, nisi prius cum scito Reverendissimi Domini Generalis ab Officio Ordinarii, vel ejus vicario fuerit approbatus.

Attendet praeterea Pater Custos diligenter, ut omnia recto ordine, juxta distributionem horarum inferius scriptarum in Conventu peragantur, et ut singuli fratres suo munere recte fungantur. Nec dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut coeperint pullulare, radicitus ea evelli curet, ipsosque delinquentes, primo quidem suavi, postmodum severiori admonitione, aut levi carcere, id est inclusione in cellam, corripiat. Si autem inobedientes et incorrigibiles fuerint, severiori disciplina et arctioribus graduum carceribus coërceat. Quod si ejusmodi correctione se non emendaverint (5) eos ad Praepositum Generalem deferat, maxime autem in eos, qui discordias, rixas, contentiones et seditiones inter fratres excitant et qui ebrietati student, vel qui absque licentia (absit sine socio) de conventu egredi praesumunt, vel denique de turpi vita et incontinentia suspecti sunt, animadvertat omnesque horum peccatorum occasiones diligenter amoveat.

Capitulum semel in hebdomada, id est feria sexta absolutis sacris celebrare non praetermittat, ubi omnes dato signo campanae mensalis convenerint, is qui praest, preces de S. Spiritu pie et studiose recitet, deinde consideant omnes rogati in proposita materia sententiam quiete et submisse incipiendo a juniore dicant, omniaque aliorum judicio, maxime custodis et consiliariorum judicanda relinquunt. Qui temere et trubulenter animi sui sensa explicabit, illius consilium negligatur et ab altero ordine exquiratur. Cum vero etiam in capitulis a multis turbae atque rixae excitentur, praeses capituli silentium fieri jubeat et in eos animadvertat qui autores fuerunt.

Re deliberata idem qui incepit preces perficiat et conclusa in librum capitularem, in hunc finem nuper specialiter erectum, per secretarium inserat et sic conventum dimittat.

Clausurae conventus sedulam curam habeat et ut serae portarum sint firmae et clausae teneantur, maxime mane usque ad sextam durante prandio, tempore Vesperarum, Matutini et Coenae, attendat. Ad cujus observationem servus conventus, quoadusque aliud circa janitorem disponatur, adiget.

Hora octava vespertina post datum pulsum ad preces, fores claudantur, quo finito omnes fratres se ad consuetum locum oratorii recipiant ibi Litanias Lauretanis cum annexis de more precibus absolvant. His absolutis loco non decedant, donec facto examine conscientiae, per pulsum (6) campanae mensalis

inde avocentur. Sic advocati quivis in suam cellam summo cum silentio se recipiat et quieti componat.

Quod attinet silentium in choro et refectorio, plus est quam ut de eo decernere possumus: quisquis fratrum tantum hoc apud se recolligat, quod oraturus cum maximo Deo sit locuturus, ad quod (ut caetera taceamus) talis requiritur compositio corporis externi, qualis interni, utpote mens recollecta, pia intentio, clarissima expressio verborum, gestus orationi accommodus, talis denique dispositio corporis et animi, ut orans non vacuus de sua petitione repellatur. Silentium si ullibi locorum extra ecclesiam, certe maximo in refectorio laudandum et observandum: ex hinc custos non admittet tempore mensae vanos et frivolos discursus, inutiles quaestiones, contentiones, clamores, maxime in praesentia Reverendissimi Domini Generalis. Si quis secus factus fuerit, statim nutu aut verbo silentii commonefaciat et in proximo capitulo arbitraria poena corrigit. Claves cellarum omnium (praeter has, quas singuli fratres habent) aut potius generalem clavim penes se retineat, licitumque sit ei cellas aperire et illas invisere, quoties ipsi expedire visum fuerit. Ordinarie autem visitationem cellarum singulis mensibus obeat ac videat ne in cellis retinent fratres res statui sui religioso minime convenientes, utpote instrumenta alearum, imagines profanas, scripta lasciva, libellos, cervicalia superflua, vestes exquisitas et alia similia, et si quae talia repererit, statim illa amoveat et excludat. Ea autem, quae ex fratribus alicui, abesse cognoverit, connotet et ad provisionem cum Praeposito Generali conferat. Oeconomiae domesticae ita intendat, ut in administratione illius tam per ipsum, quam per alios officiales conventus nil negligatur, multo minus quid perperam committatur (7).

His omnibus consideratis in officio custodiae de gremio fratrum talis constitui debet, qui muneri pro dignitate et utilitate sufficere possit, ideo conformiter ad statutum Generalis Capituli A. 1667 11. Februarii celebrati, a capitulo domestico, vocatis ad hunc actum consiliariis tam internis quam externis, custos eligatur. In potestate tamen Praepositi Generalis erit eum, quem fratres eligerint confirmare, aut eo repulso, ut alteri magis idoneo vota sua ferant, postulare. Sin vero (quod absit) officio suo se minus dignum praestiterit, liberum erit Reverendissimi Domino Generali eum cum consilio consiliariorum ab officio suspendere et per vice-custodem conventum regere, donec aliud disponatur et persona dignior in locu substituatur. Post electionem in proximo capitulo domestico consuetum ab antiquo in manus Reverendissimi Generalis emittet juramentum.

Cum autem in religione nostra antiqua consuetudine sit receptum, quod custos alterum post Praepositum Generalem in conventu et sessionibus, tam in capitulis, quam privatis congressibus locum obtineat: hortamur fratres ut illi debitum honorem et obsequium omni tempore exhibeant, ac ejus jussa atque monita non aliter quam nostra accipiant, in omnibusque illi libenter obtemperent. Quoties vero chorum vel commune refectorium ingreditur, omnes assurgant et debitam capitis inclinationem illi praestant.

Verum cum ipsum nonnumquam negotiorum monasterii causa a conventu abesse contingat, in locum ipsius Vice-Custos, quem nos pro tempore elegerimus, succedet, atque praedicta omnia munia ad custodem pertinentia exequetur.

Praesente autem P. Custode, Vice-Custos attente mores fratrum observabit, et illorum defectus, praesertim in divinis officiis diligenter notabit, ac negligentes (8) quidem primo officii commonebit, deinde vero si ipsius monita non curaverint, Patri Custodi deferet, vel si res moram patietur, in capitulo proximo negligentiam illorum accusabit. Cui etiam fratres non minorem honorem et obedientiam, quam ipsi custodi imposterum exhibere debebunt.

Sigillum conventus majus et minus remaneat sub custodia P. Custodis, majus autem numquam apprimatur nisi de scitu Reverendissimi Domini Generalis et consiliariorum. Liber capituli domestici similiter manebit in custodia ipsius, et toties quoties celebranda erunt capitula, in medium producet, et ut acta per secretarium munde inscribantur, sedulo curabit.

Constitutio tertia. De Officio Consiliariorum

Consilarii eo fine in Ordine nostro instituuntur, ut in rebus difficilioribus Ordinis Reverendissimus Dominus Generalis et Custos conventus fidos socios et consortes sui laboris habeant, ubi enim multa consilia, ibi necesse est multam esse salutem.

Volumus autem ut numero eorum sint quatuor, duo de internis et duo de externis seu beneficiatis fratribus, tales tamen ad quos facile literis possit pertingi, aut ipsi ad conventum venire. Proinde quotiescunque negotii alicujus tractandi causa vocati fuerint, prompte et libenter se sistant et rogati consilia sua sincere et candide explicant. Et si quid in Ordine perperam fieri adverterint, Reverendissimo, cujus id potissimum interest, vel in ipsius absentia custodi deferant, mala enim facilius in ipsis inijs corrigi possunt, quam cum ob dissimulationem (9) sumpserint incrementa. Sicut autem caeteris fratribus praestant dignitate, ita exemplo doctrinaeque sua illis praeleceant atque ad pietatem et vitam religiosam cum timore Dei transigendam duces sint. Illorum etiam muneris erit attendere, ut juria et privilegia hujus Almi Conventus, atque adeo omnium conventuum et ecclesiarum Ordinis nostri fideliter sub firma clausura conserventur.

Ad electionem quoque tam custodis quam eorum qui beneficiis sive ecclesiis et praepositis praeficiendi sunt, adiciuntur. Quoniam autem plurimum interest, quales personae in consilium adhibeantur, ideo eorum vita et doctrina diligenter examinari debet, quos auctores consilii publici conventus habere voluerit, liberumque erit singulis Generalibus Capitulis Reverendissimo Generali juxta beneplacitum suum alios atque alios, quos huic officio et muneri aptiores adverterit, surrogare.

Constitutio quarta. De Officio Concionatoris.

Quandoquidem in praedicatione Verbi Divini maxima et praecipua pars curae animarum consistit, ideo dabit operam P. Custos, ut antequam ad munus concionatoris aliquis ex fratribus deputetur, per Reverendissimum Generalem approbetur. Hujus vita et doctrina diligenter explorari debet, ut nimirum talis deputetur, quem pietas, vitae honestas et doctrinae puritas commendet et cujus

doctrina cum vita consentiat. Majoris autem commoditatis causa tempore hyemali hypocaustum habebit calidum et ab horis decantandis liber erit.

In concionibus autem faciendis eam methodum servabit, quae in statutis synodorum provincialium et dioecesanarum praescripta habetur. Porro trituranti bovi non alligandum os, nec Evangelizandi Verbum Dei deneganda convenienti tempore corporis viriumque honesta refectio, quam ut sibi facilius praestare possit, omnes beneficiati ad Conventum Nissensem pertinentes, conformiter ad conclusum Generalis Capituli celebrati Nissae 11. Februarii 1667 concionatori annuatim aliquem obellum in auxilium submittent. (10)

Constitutio quinta. De Officio Sacristae Senioris

Pater Custos attendat, ut sacrista suo munere recte et sedulo fungatur. Sacrista conscripto suppellectilis sufficienti inventario diligenter argentum ecclesiae et vestes pretiosiores asservabit, nec eas facile ad usum quotidianum extradat, nisi solemnitate festi aut personae qualitate id poscente. Hoc inventarium maneat in manibus custodis repositum.

Sacras autem vestes Missam celebrare volentibus prompte exhibeat et ea quae sunt ad Altare necessaria, tempestative per se vel per juniorem collegam suum subministret. Ac ciborium aestate octavo, hyeme decimo quinto die diligenter et decenter a fragmentis purget renovetve.

Ipsius obligatio erit singulis fratribus officium sive hebdomadale, sive diurnale circa Missas et Divina Mysteria adimplendum denuntiare vel potius in tabellam referre, qui, quo tempore, quove ordine inservire debebant? Diebus vero fiestis et Dominicis post concionem lectum sacrum in usum advenarum aut tarde venientium reservabit. Peregrinos et vagos presbiteros non permittat in ecclesia celebrare donec testimonium canonicae ordinationis exhibuerint. Idem etiam die aliqua solennitate instante cum Reverendissimus Dominus pontificaliter est celebraturus, ministrantes tempestive ordinabit et ut ab ijs caeremoniae juxta praescriptu Caeremonialis Romani observentur, diligenter attendet.

Absque speciali licentia Praepositi Generalis, aut saltem P. Custodis sub gravissima poena nihil per se, multo minus per alium immutet et permutari faciat in ecclesia et sacristia, maxime circa tabernaculum, Altaria, Sedilia, Cathedram, Epitaphia, imagines, lampades et similia neque sine eadem facultate Epitaphia aut imagines parieti affigat, aut semel affixa de loco ad locum transferat.

Constitutio sexta. De Officio Sacristae Junioris

Hic ad minimum debet esse Clericus in majori aliquo ordine con-(11) stitutus, propter attractanda vel deferenda vasa sacra. Cujus officium erit praeparare et studiose adornare altaria, calices, corporalia et purificatoria munda celebrantibus decenter subministrare, hostiam, vinum, aquam claram et mundam, urceolos, cereos, ignem ad usum rei sacrae opportuno tempore parata habere. Externis et advenis a seniore sacrista admissis, volentibus celebrare, vestes sacras libenter et cum charitate ministrare.

Lavacrum tersum cum munda aqua et mantilibus mundis in numero sufficienti, pelvim item pro abluendis corporalibus et purificatoriis providere, vasculum aeneum pro carbonibus in ecclesiam deferendis, circulum pro hostiis scintendis, lampades plures pro necessitate occurrente, vasa olearia magna ad usum lampadis, thuribula, malleolos ad affixionem tapetum, scopus majores ad purgandum templum, minores ad vestes excutiendas ac reliqua:

Suppellectilem ad usum sacristiae in promptu habere, personas laicas et ad servitium divinum non pertinentes, maxime pueros, a sacristia arcere. Ad fores sacristiae vasculum aeneum vel stanneum cum aqua benedicta et aspergillo decenti habere. Hostias recentes et a fragmentis bene purgatas habere in vase mundo, plumbeo circula desuper tectas ne incurventur, reservare et pro iis conficiendis ferrea instrumenta et farinam triticeam recentem et mundam tempestive providere atque aestivo tempore singulis septimanis, hyemali vero singulis quindecim diebus pinsentur, attendere.

Et ut praeterea super singula Altaria tabulae secreta Missae continentis habeantur, ut pavimentum ecclesiae a sordibus munde conservetur, ut ad ecclesiam et sacristiam serae sint firmatae, ut ecclesia debito tempore claudatur, et tempestive mane propter laboriosos homines aperiatur. Ut ad januas ecclesiae intus aqua benedicta in vase convenienti munda, nova et clara ad usum introeuntium cum aspergillis retineatur.

Ne denique in porticu ecclesiae colloquia aliqua profana et inhonesta, tam a saecularibus quam Religiosis misceantur, neve aliquid in ea indecens admittatur, prohibere.

Constitutio septima. De Officio Cantoris (12)

Cantor ordinarius assignetur ex fratribus callens musicam, maxime vero choralem cantum, hic divinis officiis praeesse et disparitatem, dissonantiamve canentium moderari debet. Unde nullus praeter ipsum introitus, Antiphonas, responsoria incipiet, cui mox reliqui omnes dato signo manu, se conjungent, et voce aequali ad finem usque decantabunt. Habebit curam Antiphonarium et Psalteriorum ne quid de iis per incuriam destruat aut pereat. Cantanda vero pro ea die tempestive aut per Novitium, aut per juniorem ex professis curabit inveniri aut registrari.

Singulis diebus, exceptis Dominicis, festis et Jovis, in qua datur recreatio, habebit per mediam horam, incipiendo hora duodecima, exercitium choralis cantu, ad quod praeter Novitios omnes fratres, maxime juniores, exceptis ijs, qui in majoribus officiis sunt constituti, comparare debent.

Similiter seriam curam geret Musicalium figuralium, instrumentorum musicae, quae omnia in certam consignationem reponet et pro congruitate atque solennitate festi, in sacro, Vesperis, Litanis decantanda distribuet.

Hebdomadarij psalmos ipsi intonabunt et caeteris in cantu praeibunt. Porro choro interesse debent omnes tum professi tum Novitii qui habitum Religionis gerunt. Hospitibus vero praepositis et beneficiatis, qui itineris labore defatigati sunt, biduo integrum sit, Matutinas alisque horarias preces separatim recitare, posteris

diebus frequentent. Dabit autem operam Custos, ut hujusmodi preces non cursim et perturbate, sed graviter et distincte recitentur atque decantentur. Eos autem, qui ad decantandas horas in chorum non veniunt, prima quidem vice uno ferculo, altera duobus, tertia omnibus ferculis prandij atque potu P. Custos privet. Quod si amplius aliquis negligens esse perrexerit, ad extremum nobis tam negligentem et desidem fratrem severiori corripiendum poena denuntiet. Perfectis precibus nemini licitum sit a choro discedere, antequam id Custos, vel eo absente hebdomadarius significaverit, a quo signo dato, ij qui adhuc orare volunt privatim, ordine procedentes, simul (13) exeant et cum silentio vel in cubicula se recipiant, vel propter frigora in commune hypocaustum. Dum vero hujusmodi preces habentur, nemo quacumque vel justissima causa, etiam rerum, quae ad divina pertinent, a choro egrediatur, si a Custode, vel eo absente ab hebdomadario veniam non petierit.

Venienti Reverendissimo Domino Generali ad chorum in suum stellum, omnes reverenter assurgant et debita capitis inclinatione saluent, idem praestent de stallis abeunti.

Constitutio octava. De Officio Magistri Novitiorum et de eorum institutione

Anno probationis Novitiorum Magister curabit, ut Novitii omnes exanthlent labores quos fratres ferre solent, ac in observatione Regulae et Constitutionum, praesertim de proprio exerceantur. Ne ferat ullo modo anathematis poena proposita, quam Concilium Tridentinum dantibus et recipientibus minatur, dum quis in probatione est, quicquam ex ejus bonis, excepto victu et vestitu a suis parentibus aut affinibus seu curatoribus Monasterio tribui, ne hac ratione bonis omnibus vel majori parte orbatus, invitus professionem faciat. Cum vero sponte infra dictum annum probationis e Religione discedere voluerit aut fuerit ejectus, omnia ex ejusdem Concilii Tridentini praescripto restituantur. Primam vestem non ex materia, sed simplici panno curet Novitius et de lectisternijs sibi provideat. Caeterum Novitiorum Magister pijs semper cohortationibus Novitios ad pietatem et studium Religionis moveat et inflammet; quod facile assequetur, si se ipsum in omnibus rebus disciplinae regularis studiosum, paupertatis amantissimum, inimicissimum proprii, praeditum vitae moderatione, in spiritualibus meditationibus versatum, mitem, suavem, pium, modestum et ad omnes ecclesiasticos labores tolerandos paratum ad imitandum proponet.

Novitij suum Magistrum in Domino diligant et observent eique defectus suos libere patefaciant, ac in omnibus rebus tanquam patrem in Christo consulant et ei obtemperent.

Etsi absoluto tempore Novitiatus Reverendissimo Domino Generali cum fratribus qui sunt in Conventu, adhibitis Consiliariis, integrum est Novitios qui fuerint, eorum mores, aut ad professionem recipere, aut ejicere, conformiter (14) ad statutum quartum Generalis Capituli sub 11. Februarii 1667 tamen e re et cautela Conventus non erit ad evitandos sumptus antequam de Autoritate solius Generalis suscepti Novitiatus adscribantur, diligenter scrutari et inquirere eorum animum, causam, qua adducti fuerint; an aegritudine aliqua afficiantur? corporeve sint

vitiati? an voti aliquod nuncupaverint? an aliquo se aere alieno obstrinxerint, etiam aliorum fide? an uxorem duxerint? an parentes habeant et sorores egentes sua ope? qualem in saecula vitam transegerint? an Religionem aliquam ingressi et an professi fuerint? quibus studijs incubuerint? in ijs an profecerint? et in qua sint aetate constituti.

Nulla ratione recipiantur corpore diffformes et vitiati, bigami ac ij qui tales parentes habeant, ut magis expedire videntur in saeculo vivere, ut illis prodesse possint. Item homicidae, facinorosi, alijve publici blasphemi, nisi antea vitam emendaverint. Faeneratores qui satisfacere nolunt vel non possunt, quique suam aliorumve fidem obstrinxerint, si eam liberasse plane non constiterit. Demum neque ij qui decimum quintum annum non profecerint: neque aegroti qui desperato aliquo, eoque contagioso morbo laborant. Ignorantes autem et rudes praesertim aetate propecta, haud facile in Novitiatum coaptentur, nisi morum probitas et vehemens desiderium spem excitet de maximo illorum progressu in obedientia et disciplina regulari. Eorum vero qui votum fecerunt, voluntas exploranda est. Denique si qui in Novitiatu alterius Religionis permansissent, non induantur habitum, nisi postquam testimonium Chirographo et sigillo superioris illius Monasterium confirmatum sumpserint, quo neque tempus professionis transivisse, neque ullo modo professionem fecisse et dum ibi vixerunt, se gessisse Religiose testatum fiat. Nemo cuicumque is fuerit, in Novitiorum numerum adscribatur, qui antea per hebdomades duas rationem, quam fratres instituunt et sanctiones penitus non cognoverit, et labores omnes subiverit, qui a quolibet vel minimo capiuntur aut fiunt. Interim fratres sagaciter indigabunt illius naturam, mores, voluntatis propensiones, tolerantiam, modestiam, doctrinam, et caeteras animi dotes, quibus viri Religiosi ad obeundas Religionis functiones ornati esse debent. (15)

Cum autem ad rectam Novitiorum institutionem plurimum conducat, si si separatam a reliquis fratribus (prout in alijs Coenobijs recte institutis videmus) mansionem habeant, ut videlicet quietius suis muniis attendere, et spiritualibus exercitijs liberius vacare possint: ideo curae erit nobis, ut primo quoque tempore Novitij una cum Magistro suo non tantum suum hypocaustum a communi distinctum, sed etiam dormitorium in reliquis separatum habeant et professis fratribus, nisi cum ad divina officia, vel ad mensam procedendum erit, non se immisceant.

Ut autem non minus in studijs, quam in pietate et timore Domini majorem in dies profectum facere assvescant, eis singulis diebus partem pij alicujus libelli Magister Novitiorum perleget, et eos in omni pietate et religione sedulo informabit.

Caeterum habet instructionem a nobis sibi traditam, secundum quam ipse in officio suo et instructione Novitiorum se regere poterit ac informare.

Annectimus huic capiti non abs re Decretum sacrosancti Concilii Tridentini de ijs qui aliam Religionem ingredi volunt: nimirum cum sacrosancta Tridentina Synodo cautum fuerit, ne quis Regularis quacumque facultate ad laxiorem Religionem transferatur: quapropter si quis strictiorem Regulae aditum petat, antequam concedatur, professionis verba illius, Religionis causa, constitutiones, praescripta, consuetudines, vivendi ratio, et quod majus est, observationes ac

poenae negligentibus impositae deliberate expendantur. Praeterea investigetur causa qua is adducatur? an studio reformatonis permoveatur? quod facile conjectura superior consequetur, si ejus diligentiam in nostris sanctionibus servandis notabit. Quando re consulta et explorata compererit Religionem quam petit arctiorem esse, atque illum hoc auditu posse ad majorem perfectionem pro suo desiderio contendere, aequo animo ferat hujus optimi fratris discessum et eum cum benedictione dimittat. (16)

Alioquin perspicuus esse tentationem Diaboli, qui saepe se transformatur Angelorum lucis, facultatem non imperciat. Caeterum si eum in strictiori Religione Novitiatum absolvere, aut professionem ibi quacumque de causa emittere non contigerit, obligatur eadem hora signatus amabili tessera S. Crucis redire ad Conventum ex quo fuit dimissus, ad capescenda Religiosa mandata, cum hoc reservato, ut illud quod fuisset professus in strictiori, scilicet sit junior professione in priori seu frivole deserto Conventu et S. Religione. Neque post hac (nisi grave de causa) ullus habeatur respectus, illum ad aliquod beneficium et officium in ordine promovendi.

Constitutio nona. De Officio Magistri Infirmorum

Cum fraterna charitas, quae est vinculum omnium Religionum, circa fratres in infirmitate constitutos maxime elucescat, volumus ut aliquis ex fratribus constituatur, qui habeat curam infirmorum et necessariorum ad infirmariam pertinentium.

Locum infirmariae lectulos, pulvinaria, linteamina et aliam suppellectilem purgari crebro faciat et munda retineat, provideatque omnia necessaria ad infirmorum curam pertinentia, praesertim ut medicamenta juxta praescriptum medicorum infirmis debitum temporibus ministrentur. Et cibi non communes, sed meliores et molliores pro necessitate illorum ministrentur.

Frater autem infirmus, dum adhuc est viribus integris, in manus P. Custodis libros et omnem suppellectilem, cujus hactenus usum habuit, resignet et se ab omnibus expropiet. Ea autem quae resignaverit, fideliter conscribantur et conserventur et eidem fratri si convaluerit restituantur. Si vero a vivis decesserit, juxta ordinationem Praepositi Generalis, in usum aliorum fratrum et Conventus convertantur.

Praecipue idem Magister infirmum fratrem ad devotam Sacramentorum perceptionem tempestive hortabitur et ei agonizanti et ipse diligenter assistet et ut alij assistant, P. Custodem tempestive praemonebit.

Quod si circa curam infirmorum fuerit negligens, deponatur, et officij non praestiti (17) causa severiori poena per P. Custodem in eum animadvertatur. Inquiremus autem et nos ipsi sollicite de defectibus infirmorum et diligentiam paternam circa valetudinem ipsorum adhibebimus.

Seniores debiles et emeriti Patres habeantur instar infirmorum, bine neque illis, quorum aetas foris in cura animarum facta, aestum diei amplius sufferre non potest, reditus ad Conventum praeccludatur, ubi quietam vitam, quae in rerum divinarum contemplatione versatur, traducere possint. Immo cupimus, ut illorum aetatis et

bene actae vitae ratio habeatur: declarantes prout declaravimus, illos loco infirmorum habendos esse, atque ijsdem privilegijs frui posse, quibus aegroti utantur.

Quia vero antiquis Canonicis Constitutionibus semper cautum fuit, ut Religiosi, qui paupertatis votum nuncupassent, etiam Episcopi creati, testamenta de suis bonis nullo pacto condere possint, quaequae in vita acquisivissent, Monastriis Conventibusve parta esse, ea qua debemus diligentia et autoritate nostra, cavemus omnibus et singulis fratribus Sanctissimi Sepulchri, curae nostrae commissis sint illi interni sive externi, Praepositi aut beneficiati in beneficiis saecularibus, seu ad nostrum Ordinem non pertinentibus, ut nemo illorum posthac testari audeat cessante quolibet nomine vel ratione qua moveri possent. Et hinc communi omnium fratrum nostrorum sententia statuimus et sancimus, ut omnium qui in Domino diem suum obierint fratrum; Praelatorum, Praepositorum, Parochorum et eorum qui domui Nissensi ascripti sunt, vestes, libri, pecunia, vel praesentes vel exigendae, Ordini, ad dispositionem Praepositi Generalis, cum consilio Custodis et Consiliariorum ad ejusdem jura et privilegia defendenda et publica Religionis commoda retinenda et amplificanda mature assignentur. Ea tamen ratione, ut ijs rebus, primum aeri alieno, quod quantumque defunctus conflasset et necessitati ejus ecclesiae (si sit beneficium Ordinis) in qua vitam agebat, omnino satisfiat. Volumus autem ut nihil eorum bonorum quae ad successorum congruentes utilitates quoquo modo pertinent, nimirum pecora, frumenta, suppellectilia domestica, aut detrahatur aut commutetur. Et ne praefata post mortem defuncti derelicta sors ex depravata quorundam cupiditate vel imprudentia in malos usus convertantur, statuimus et mandamus Custodi, quicumque pro tempore fuerit, Praepositis et beneficalis nostris et fratribus Conventus Nissensis, omnibus ubivis permanentibus fratribus nostris, ne audeant (18) vel minimum, exceptis sumptibus in exequijs faciendis, de bonis fratris mortui decernere, sibi usurpare, exigere, vendere, emere, commutare, distribuere quovis nomine, sed statim ex Capitulo Conventuali de consensu Reverendissimi Domini Generalis, si per locorum intervalla licitum fuerit, duo, aut ad minus unus fratrum cum plena potestate et instructione deligatur, qui veluti tutores seu tutor sit et illorum seu illius aequitate ac diligentia omnia conscribantur, atque in loco tutiori reponantur.

Hi vero Praepositum Generalem illico, ubicunque fuerit, certiore faciant de omnibus expensis, acceptis, aere alieno, pecunijs praesentibus et exigendis, suppellectilibus, urbanis et rusticis, denique de omnium rerum, quae ad oeconomiam spectant, numero et aestimatione. Alioquin omnes distributiones, commutationes, dona et qualescunque alienationes, etiam pietatis causa factae, inanes et nullae sint.

Is vero qui obiit, si (quod Deus avertat) cum proprio deprehendatur, poenas dabit, quas antiquissimi Canones statuerunt, ut sepulturae honore careat.

Constitutio decima. De Officio Dispensatoris, Culinae et Cellarij

Hic constituatur in officium vir bonus, providus, fidelis, sollicitus et in re oeconomica bene versatus.

Muneris illius erit communicato cum P. Custodi consilio, omnia accessaria pro victu fratrum tempestive procurare et ut cuilibet eorum debita carnum, piscium, panis, cerevisiae portio contingat, diligenter providere.

Ita tamen ne quis portione quae sibi obtigit, tanquam propria utatur, sed si quid reliquum fuerit, id non pueris, quos deinceps nullus sune expressa superioris licentia tenere praesumet, aut vetulis et personis ad obsequia assumptis, concedatur, verum reservetur et ad arbitrium Custodis pauperibus ad portam distribuatur.

Porro cum non infrequenter compertum sit, quod tales officari ipsimet inordinata cupiditate emolumentum sibi quaerere non vereantur, et propter sua privata commoda notabilem saepe proprietatem et licentiam distribuendi, dispertiendive exerceant, praetendentes sibi id licere propter labores et molestias quas in tali obsequio sustinent; Proinde praecaventis ne imposterum aliquid hujusmodi facere praesumant, statuimus, ut si qui tales deprehensi fuerint, ab officia statim amoveantur et praeterea severe puniantur.

Constitutio undecima. De Officio Bibliothecarij

Apud hunc remanebit clavis a Bibliotheca. Diligenter attendet, ne libri a tineis (19) et muribus corrodantur. Bis intra mensem aut quoties necesse fuerit, pulveres excutiantur et detergantur. Libros in ordinem redactos sub titulo convenienti conservabit, duplicem cathalogum unum secundum Alphabetum, alterum secundum locos repositorij perficiet.

Certa hora singulis diebus qui necesse habuerit, petat libros, extra hanc vero nulli concedantur. Qui acceperit nomen suum, et Authorem libri in libellum ad hoc specialiter deputatum inscribat, nec exinde deleatur, donec constet eum librum reposuisse. Parochi seu beneficiati in beneficijs saecularibus, proximo tempore mittant in Conventum Cathalogum suorum librorum.

Constitutio duodecima. De Officio omnium Fratrum in Conventu manentium

Cum praecipuum studium Religiosorum esse debeat, conari die noctuque, ut anima illorum per Orationem et Contemplationem Deo sit conjuncta: ideo fratres omni studio et diligentia Orationi et contemplationi quam saepissime vacare, et mentem suam in Deum elevare, omnesque actiones suas ad praescriptum Regulae et Constitutionum Regularium dirigere debent. Qui enim in Conventu vitam professioni suae consentaneam non agunt, frustra vivunt in Monasterio, fundatoresque decipiunt, qui pias et Religiosas illorum eleemosynas indigne absumunt.

Praecipue autem temperantiam sanctam in esca et potu servent, quatenus omni die ad tremendum illum Missae Sacrificium peragendum, digne accedere sint parati, utque preces eorum, quas fundunt pro se et populo, in conspectu Dei accendant, et sint ad impetrandum id quod petunt efficaciores. Ebrietatem autem veluti vastum quoddam vitiorum pelagus, summo studio fugiant. Nihil enim minus decet Religiosos quam compositio et commessatio: siquidem tales Conventum poenitentiae et sobrietatis receptaculum in luxus deliciarumque voraginem commutant.

Invicem sibi honorem deferant: juniores presbitero venienti ad ecclesiam, vel in commune hypocaustum assurgant et eum debito honore praeveniant. Cum autem maledictus sit homo qui opus Domini facit negligenter, ideo divina officia juxta distributionem horarum inferius a nobis praescriptam, et circa finem Constitutionum praesentis Capituli insertam attente et distincte absolvant, et in eis pie ac devote se gerant, psalmos et lectiones distincte pronuntient memores praesentiae Dei, in cujus conspectu una cum purissimis Angelicis Spiritibus laudes divinas decantant. Ad prolationem Nominis JESU, B.M.V. vel Gloria Patri etc. capita aperiant et reverenter inclinent.

Cum vero ad vitam spiritualem instituendam, et divinum amorem concipiendum plurimum oratio mentalis conducat juxta psalmistam: In meditatione mea (20) exardescet ignis: ideo fratres singulis diebus ad minus per unam quartam horae orationi mentali vacabunt; in quem usum plures libelli spirituales in Bibliotheca habentur.

Habitus honestum, non autem superfluum, huic nostrae religioni convenientem omnes deferant et hunc quidem in totum nigri coloris. Unde nulli licebit extra Custodem et Praepositos posthac portare manicas alterius coloris. Vestis sit cruce rubea ex materia sericea obducta auro, insignis. Pendulam Crucem nemo portet extra Praepositum Generalem et Praepositos Infulatos, aut qui habent jus Infulae. In Conventu vero et choro omnibus fratribus inhibetur usus curtarum togarum, conceditur tamen euntibus ad recreationem et itinérantibus. Porro hic aliqui certi statui deberet de communi Vestiario, quia vero tempora et necessitas non patiuntur, ut mox commode instaurari possit, sumet sibi niholominus Curae Reverendissimi Generalis, ut primo quo commode fieri poterit tempore, in actum redigatur. In Processionibus publicis ita modestos se gerant, ut omni gestu et motu Corporis (tenentes Rosaria aut aliquem libellum spiritualem in manibus) aedificationi sint in populo. Ornentur ex antiquissimo et noviter confirmato Privilegio, albis Rochetis, Spomidibus nigris cruce rubea insignitis super humerum. Etiam curabit Praepositus Generalis, ut proximo quoque tempore provideatur de aliquo signo fratribus in processionibus publicis praefereendo.

In cellis nulla arma retineant, at maxime imaginem Crucifixi et alias pias sanctorum imagines, illas autem non habenti de communi per P. Custodem provideatur. Neque sit fas aut licitum ulli fratrum sive discedenti de Conventu, sive de cella ad cellam migranti aliquid de his tollere aut auferre. A cellis vacuis claves maneant apud P. Custodem.

Silentium omni tempore ab omnibus fratribus in choro et Refectorio servetur, excepta una hora recreationis post prandium, altera post coenam, et media post Vesperas, reliquum tempus impendant studio et lectioni librorum. Si vero improbitas vel importunitas alicujus fratris absque licentia superioris, et absque urgenti causa silentium fregerit, a P. Custode puniatur, prout superius est expressum. Tempus Prandij et coenae servetur quod ab antiquo, tertio quadrante ad decimam pro prandio, et vesperi ad sextam detur primus, secundus vero pulsus dum sonat horologium. Tempore vero quadragesimali et Jejuniorum, pro coena prima vice pulsetur tertio quadrante ad undecimam, secunda vice dum sonat

horologium, quo finito omnes in Refectorio adsint, et in silentio praestolentur Adventum Praepositi Generalis aut Custodis, eo praesente hebdomadarius stans proxime et primus ad mensam compositis manibus, consveta formula benedicat, et sic omnes se ordine ad mensam componant. A mensa nemo nisi de licentia Custodis aut Vice-Custodis surgat et abeat. Diebus ferialibus non protrahatur ultra tertium quadrantem, diebus et festivis et Dominicis non ultra horam, nisi in praesentia Generalis aut hospitem aliud occasio svadeat, et Superioribus placeat ubi tamen juniores Patres dato signo tempestivius surgant, et tempus aut honorario obsequio Reverendissimi Domini Generalis et majorum Officialium immixto per (21) modum recreationis gratiose et honesto discursu, aut aliae Conventui consvetae recreationi impendant.

Lectio spiritualis ad mensam nunquam intermittatur, sed hebdomadatim successive per Novitios, aut in defectu illorum per juniores fratres in officio non constitutos fiat hoc modo: primo legatur caput ex S. Scriptura, postmodum aliquid ex spirituali aliquo libri, et ad finem prandij Martyrologium Romanum. Diebus Veneris mane et Vesperi Regula S.P. Nostri Augustini, et tandem sabbathinis Constitutiones hujus Capituli Generalis.

Literas inscio superiore, nec ab alijs recipiant, nec ipsi mittant, et eas in posterum sigillo minori Conventus per Custodem muniri curent: multo minus aliquis praesumat (cum sit casus ipsi superiori reservatus) impedire, retardare, aut aperire literas a Superioribus ad Inferiores, et ab inferioribus ad superiores transmissas.

Propter Religiosos confitentes necessarium omnino videtur, ut Confessarii Ordinis nostri casus Religiosorum noverint, a quid ijdem non nisi a proprijs Praelatis vel ipsorum substitutis absolvi possint, juxta ordinationem Bullae a Clemente Octavo, quae in officio Patronorum inserta habetur, super ea re emanatae. Et haec mixtim super Regulam S. Patris ac Legislatoris nostri Augustini statuere ac decernere voluimus. Nunc de tribus votis essentialibus in specie.

Ac primo quidem

De Voto Paupertatis

Ut eo facilius fratres nostri percipere ac conquerere possint, quanto in periculo salutis, aeternaeque damnationis omnes ij versentur Religiosi, qui, (et quidem sine ullo conscientiae scrupulo) ita detestande ac perniciose (contempto solenni paupertatis voto sacrosancte emisso) inhiant; sequentia puncta ad evitandam proprietatis labem, tam e ss: Canonibus, quam etiam oecumenicorum Conciliorum decretis, ipsa quoq; S.P.N. Augustini Regula deprompta inserenda diligentique fratrum trutinæ ac considerationi commitenda esse duximus.

1. Proprietas in quolibet Religioso Ordine omnium dissolutionum exorbitantiarumque est primaria et principalis causa, ex qua cum plurima, tum potissimum execrandum avaritiae vitium inter Religiosos oritur, hinc vero postea rixae, contentiones, contra Superiores murmurationes, imo etiam conspirationes voluntariae et deliberatae, statutorum Ordinis, votorumque essentialium transgressiones, aliaque infinita mala subsequuntur.

2. Communis vitae ratio quoad victum et vestitum adeo est Religiosis necessaria, ut ea non diligenter observata, paupertatis votum (quod nil proprij admittit) vix ac ne vix quidem inviolatum esse possit. Unde tam praelati quam subditi gravissime peccant, et sunt in statu damnationis per quos stat, quo minus omnes Religiosi vitam agant communem.

3. Religiosus Professus solenniter, cujuscunque instituti Ordinisve fuerit, simpliciter est incapax in particulari omnis Dominij rerum mobilium, et immobilium temporalium, quia per solennem professionem non tantum renunciat omni dominio sed etiam (22) reddit se incapacem illius. Et hoc intelligendum est de quibusvis Religiosis etiam beneficiatis, quales sunt in Religione nostra praepositi, plebani, qui licet habeant jus administrandi et dispensandi fructus suorum beneficiorum, non tamen dominium tam ipsorum beneficiorum quam fructuum. Unde non possunt de his fructibus aliter disponere, nisi ad congruam statui suo sustentationem, et non in res vanas, nec ad ditandos amicos, alioquin non tantum ipsi beneficiati, sed et illi peccant, qui ab eis aliquid (nisi forte per modum eleemosynae) accipiunt.

4. Peccat Religiosus mortaliter si velit penes se aliquid retinere tanquam proprium aut eo uti tanquam proprio, et independenter a Superiore:

5. Peccat similiter si donet aut alienet aliquid sine tacida vel expressa facultate Superioris, et talis alienatio cum sit illicita, irrita est censenda nec ille qui donum a Religioso accipit, suum facit, sed tenetur Superiori Religiosis restituere juxta Bullam Clementis VIII. quae incipit: Religiose.

6. Si est Religiosus dispensator aut Administrator aliquarum rerum, non potest eas distribuere pro suo arbitratu, sed tantum ex praecepto, et mente Superioris, et si qua in re a mente Superioris recesserit, incurrit proprietatem, nam ita dispensat ac si esset Dominus, et ad alterius Dominium non pertineret.

7. Non potest mutuo aut commodato dare sine consensu Superioris, quia tantum habet usum rei, et eum precarium, usuarius autem non potest alteri usum concedere ut habetur insti: de usu et habitatione §.1. et 2.

8. Non licet ei quicquam etiam ab externis et consanguineis accipere sine consensu Superioris, ea praesertim intentione, ut illud sibi appropriare velit.

9. Non potest etiam ad usum sibi quicquam ex rebus communitatis usurpare invito Superiore.

10. Peccat Religiosus si quicquam abscondat illudque subducat libere Superioris dispositioni, hoc enim furtum et sacrilegium est.

11. Tenetur Religiosus in ijs, quibus utitur conservandis, eam praestare diligentiam, quam adhibere tenetur is qui re aliena utitur.

12. Res superfluas non potest habere, etiam cum licentia Superioris, potestque hac in parte peccare mortaliter si habeat aliqua quae statum suum dedeant. Jam ad rem:

Sacrosancta Synodus Tridentina expressis verbis, et explicato decreto pro desiderio, quo in Regularem disciplinam restituendam, et constantissime retinendam flagrabat, omnibus Superioribus Religionum praecipit, ut in Capitulis Generalibus et Provincialibus, ac Synodalibus, omnes nervos intendant, ut quae ad communem

vitam pertinent, fideliter observentur. Nos qui illius mandato obtemperare desideramus et tenemur hac quoad proprietatem praecipimus et mandamus: Omnes qui votum paupertatis professi sunt, sint Praepositi, Parochi et quaecunquae beneficia nostra obtinentes, primo quoque tempore Custodi Conventus Nissensis, et ille Reverendissimo Domino Generali, omnia bona cujuscunque conditionis illa fuerint, et quovis modo ab eis acquisita, ante (23) mortem debito Inventario consignent; alioquin poenis quas ss. Canones suspensionis a Divinis, et Tridentinum Concilium, bienni privationis vocis activae et passivae decreverunt, et alijs Reverendissimi Generalis arbitratu afficiantur.

Verum ne ullo unquam tempore dubitatio oriri possit quid nomine proprij habendum et intelligendum sit, ex eodem Concilio declaramus: non solum peccuniam sed vestes et omnia suppellectilia, quorum usum Reverendissimus Generalis non permittit, statui paupertatis non convenire et proprii nomine comprehendi: attamen non minus Praeposito Generali curae esse debet, ne quid unquam eis deneget quod necessarium sit. Quaproter et supra determinatum, Custos semel in mense visitationem cellarum obibat, et se quid aut deesse aut superesse cognoverit, suppeditari faciat, aut superfluis detractis reum imposita poena pro merito puniat.

De Voto Castitatis

Quanta debeant sacerdotes Dei mentis et corporis castitate lucere, opus quod prae manibus habere solent, clare demonstrat. Corpus enim Christi castissimum quod purissima Spiritus S. opera, integerrimo B.V. Mariae sanguine conflatum est, in sacrificio Altaris conficiunt Deo Patri pro totius mundi delictis et sordibus immolandum.

Accedit quod nostri fratres seipsos sponte hoc voti vinculo devinxerunt, ut et ideo vel maxime ab omnibus turpitudinis illecebris abhorreere debeant. Quare omni cura et solitudine cavendum est ne in suspiciones quidem hujus criminis apud alios incidant. Unde nemo in Conventu ad cellam mulierem introducat, ne sororem aut consanguineam quidem, nisi de licentia speciali P. Custodis, et tunc collocutio fiat brevis et in praesentia alicujus patris gravis qui possit esse vitae et consuetudinis testis. Sique alias de necessitate et exigentia aliquid muliere loquendum fuerit, fiat inferius ad portam.

De Voto Obedientiae

Obedientia, quae religionem ut anima corpus informat, ea desideratur a fratribus regularibus, quae causas eorum quae committuntur, non investiget: poenas vero negligentibus, vel indecentibus moribus debitas ita libenter persolvant, ut re maxime ad emendationem accomodata, fructuose se disponant.

Itaque nemo Superioribus detrahat eorum vitam coram alijs, maxime saecularibus, cavillet, contra Constitutiones, praecepta et mandata, quae cotidie injungi solent, ullo modo susurret, cohortationibus et consilijs omnes ita obtemperant, ut debitam subjectionem ijs (qui loco Dei sunt) potius et spiritualis

vitae progressum ostendant, quam ullam contrarietatis ad adversitatis notam incurrant.

In omnibus denique actionibus ita fratres se gerant, prout Regula ipsa, quae totius religiosae vitae normam tradit, et vocatio illorum requirit.

Constitutio decimatertia. De Officio Praepositorum et Parochorum in beneficijs Ordini annexis manentium

Alia est ratio beneficiorum Regularium, alia saecularium: Regularium ea ratio est (24) ut Praepositos et Plebanos, arctioribus obedientiae vinculis devinciat. Quare hi, quibus extra Conventum pro beneficiorum onere vivere licitum est, memoriam Religiosae professionis quam fecerunt, ne deleant sed eo magis religiosam vitam ducant, quo majora in eos a Deo Opt., Maximo, et a Religione extant beneficia. Verum etsi status in quo sunt, illos quodummodo cogit redditus et proventus percipere, bona defendere et augere, nummos exigere et retinere, ac rebus omnibus domesticis ecclesiasticisque providere, tamen adhuc se paupertatem devovisse memores esse debent; ut pecunijs aliisque fructibus non ad quaestum et ad proprium, sed ad illius ecclesiae quam regunt usum et ornatum utantur. Quare omnes tam praepositi quam beneficiati Religiosae vocationis semper sint memores, et ad praescriptum Regulae et Constitutionum Ordinis quam maxime vitam suam et mores accomodare studeant, eamque juxta obligationem nostri statuti observent.

Inter alia vota essentialia, vel maxime paupertatem, quae totius regularis disciplinae firmissima basis ac fundamentum est, semper prae oculis habeant, et secundum doctrinam hac de re superius traditam se gerant, neque bonorum, aliorumque fidei suae commissorum proventuum Dominos, sed potius temperaneos dispensatores et Administratores se esse sciant: ac proinde in iis dispensandis non quod propriae lubet voluntati, sed quod Regulae et constitutionibus, sacrisque canonibus conforme, ac consentaneum est, faciendum esse meminerint. Quod ut eo facilius exequi possint, volumus ut Praepositi et beneficiati ita redditus et proventus suos distribuant, ut quotidie si opus fuerit ad rationes reddendas parati esse possint. Ac praeterea ut omnium reddituum et expensarum fideliter ac diligenter conscripta habeant Regesta, illaque quotannis semel, idque immediate circa festum S. Martini, vel alio huic proximo oportuniore tempore ad nos Nissam in absentia vero ad Custodem pro tempore existentem, transmitti curent. Ne aliquid autem de bonis aliisque proventibus ecclesiarum, sive per incuriam beneficiorum, sive per alium quempiam modum depereat, ordinata Inventaria tam sacrae rei ecclesiasticae quam etiam suppellectilis domesticae habeant, et ea fideliter ac ordinate descripta, singulis trienjijs ad monasterium transmittant.

Volumus praeterea ut singuli beneficiati imposterum habeant librum in quo omnia privilegia, ad suam ecclesiam spectantia, de suis originalibus describant, ipsa autem originalia privilegia nullatenus penes se retineant, sed ea quam primum ad Archivum remittant Conventus Nissensis.

De bonis ad ecclesiam suam pertinentibus (quoties necesse fuerit) jure agant in iisque defendendis, ac recuperandis (si quae forte per negligentiam Antecessorum suorum alienata fuerint), sumptui non parcant. De omnibus autem Reverendissimum

Certiores faciant, neque ipso inscio de controversijs, majoris praesertim momenti, privata auctoritate transigere, et multo minus permutationes, donationes, vel (quod absit) venditiones, aut alienationes bonorum ad suas ecclesias spectantium facere praesumant sub poena a ss. Canonibus statutis, et alijs a Reverendissimo Domino irrogandis. (25)

Ab ecclesijs suis diuturno praesertim tempore sine urgenti necessitate se non absentent, sed domi assidue residentes, rei oeconomicae ita intendant, ut cultus divinus in nulla re negligatur. Familiam domus in omni honestate et disciplina retineant, et ne quid indecens (quod Deus avertat) in domo Religiosa fiat, diligenter provideant.

Quoties vero tam ipsos Praepositos, quam beneficiatos aut alios fratres ad Conventum nostrum alicujus negotii causa venire contigerit, statim in Monasterium se conferant, neque in Civitate pernoctare et multo minus commessionibus et comotationibus ibidem indulgere praesumant. Quod si suam liberalitatem fratribus in Conventu residentibus, in exhibendo praesertim aliquo vini poculo declarare voluerint, id in Conventu pro usu communis mensae (moderate tamen) facere poterunt, ac inibi per totum tempus suae commorationis pacate, quiete et statutis conformiter se gerant. Nobis autem curae erit eos quoque benevole et hospitaliter habere.

Constitutio decimaquarta. De Officio eorum qui extra Religionem in beneficijs saecularibus cum facultate superiorum manent

Paucitas quandoque sacerdotum saecularium facit, aut alia urget ratio vel necessitas, ut interdum consulentes saluti populorum qui panem summopere petunt, et non est qui frangat eis, cogamur nostros fratres ad exterarum ecclesiarum mittere, ut de licentia Ordinariarum sacramenta omnia administrent et eorum animas veluti patres virtutibus et spiritualibus rebus alant ac curent.

His mandamus ut omnia praestant, quae alij praepositi et beneficiati observare debent, eaque nullo pacto negligant, quae ad vota quibus se obstrinxerunt, spectare videbuntur. Ideo Praeposito et beneficiato qui propior erit, arbitrio Generalis, ut supra statutum, subjiciatur.

Quando vero reditus illius Ecclesiae ferent expensas ad alendum vicarium, deceret maxime ei fratrem alium adjungere, ut esset morum et consuetudinis illius veluti testis.

Caeterum quoad proprium ita se gerant, prout superius de Praepositis et alijs beneficiatis decretum et statutum est.

Constitutio decimaquinta. De Celebratione Festorum, Missis, et Horis Canonice

Ut in celebrandis Festis S. Ordinis, Missis et recitandis, cantandisque Horis Canonice, vetus mos et tempus observetur, volumus omnino. Unde hora sexta matutina dato pulsu pro prima, tertia, sexta et nona, dum has horas alij in choro devote orant, unus sacerdotum maturum Sacrum seu primam Missam ad majus Altare celebrabit, quae diebus Dominicis ex antiquo Privilegio et Consuetudine

Ordinis nostri semper erit de Octava Resurrectionis Dominicae. Diebus Dominicis et festivis tertio quadrante ad octavam habeatur cantatum sacrum, post sacrum Concio Ordinaria, et ad finem lecta missa pro advenis et peregrinantibus.

Hora secunda pomeridiana detur pulsus pro Vesperis, quae in pervigilio et in ipsis Dominicis Festivisque diebus adhibito organo per tonos cum suis Antiphonis debent cantari. His absolutis eadem observatione adjungetur Completorium.

Matutinum a fratribus hujus Almi Conventus ab antiquo semper fuit servatum hora vespertina, cui observationi per hoc statutum etiam nullatenus volumus derogatum.

De celebratione festorum addimus et hoc: ut posthac non minus festum S. Legislatoris nostri Augustini, S. Simeonis, S. Narcisi, Inventionis S. Crucis, S. Helenae et Exaltationis S. Crucis solenniter celebrentur, nimirum cum primis et secundis Vesperis per tonos adhibito organo et cum cantato sacro. Et sic Constitutiones hujus Capituli Generalis in Domino finimus. Volumus autem ut quicumque huic nostrae ordinationi temere contravenerit, in eum per P. Custodem severe advertatur. Etsi quis (quod absit) fuerit (26) incorrigibilis, ad nos pro graviiori animadversione deferatur.

In cujus rei fidem praesentes manu propria et omnium fratrum in hoc Capitulo Generali congregatorum subscripsimus, et hoc sigillo Generalatus communiri fecimus. Datum in Conventu Nostro Nissensi ad S.S.Petrum et Paulum die 16. Octobris Anno 1675.

Pod tekstem statutów wyciśnięta sucha owalna pieczęć: dolną połowę pola wypełnia tarcza herbowa, na której dwie postaci trzymają podwójny krzyż bożogrobców, w górnej połowie pastorał i mitra. Napis dwukrotnie okala pieczęć: SIGILLUM GENERALATUS ORDINIS CANONICORUM S. SEPULCHRI // PER BOHEMIAM SILESIA ET MORAVIAM NISSAE SILESIIORUM/.

Następują podpisy obecnych na kapitule: Georgius Franciscus Richter, Generalis et Supremus Praepositus Crucigerorum¹³ --P. Florianus Ungerathen, Custos --P. Franciscus Climakus, Diffinitor --P. Joannes Ferdinandus Pistorius, Diffinitor¹⁴--P. Nicolaus Petrus Wolffius, Senior¹⁵ --P. Augustinus John¹⁶--P. Martinus Franciscus Grang --P. Alexius Conrad¹⁷-- P. Joannes Hradecka --P. Matthaeus

¹³ Richter był Morawianinem. Do zakonu wstąpił ok. 1660 r. Studiował we Wiedniu. Wybrany prepozytem w 1667 r. odnowił statuty według obowiązujących w generalacie miechowskim. Brak informacji o okolicznościach śmierci. Zob. Fuchsz, dz. cyt., 437 n.

¹⁴ Pistorius pochodził z Prus. Do zakonu wstąpił ok. 1660 r. Był proboszczem w Drogosławiu k. Kłodzka i Vel. Kuneticach k. Głuchołaz. Wybrany został prepozytem w 1690 r.; zmarł w 1699 r. Zob. Fuchsz, dz. cyt., 437 i 440 n.

¹⁵ Wolff razem z Johnem należał do delegacji, która w 1652 r. zwracała się do biskupa wrocławskiego Karola Ferdynanda o interwencję w sprawie konwentu nyskiego zagrożonego na skutek złych rządów prepozyta Franciszka Farusiusa. W 1655 r. uczestniczył w elekcji następcy po nim. Zob. Fuchsz, dz. cyt., 432—434.

¹⁶ Augustyn John zob. przyp. 15.

¹⁷ Jan Jerzy Aleksy Conradt, Czech z pochodzenia, pleban w Bładnie na Morawach i prepozyt w Raciborzu, od 1680 r. prepozyt generalny, zmarł w 1690 r. Zob. Fuchsz, dz. cyt.,

Ignatius Czeppan --P. Matthaëus Franciscus Danbeck --P. Wenceslaus Franciscus Jaschke --P. Joannes Franciscus Stosch --P. Georgius Ignatius Schubert --P. Matthias Josephus Kuthy (?) -- P. Martinus Franciscus Zwitter --P. Martinus Ferdinandus Melner --P. Casparus Balthasar Graser --P. Laurentius Lucas Franciscus Knauer --P. Matthaëus Franciscus Helman --P. Gregorius Koch.

II. REGULAE PRO NOVITIIS

1. Instructio Novitiorum ¹⁸

Cum annus Novitiatus sit tempus probationis verae vocationis ad statum religiosum, incumbet primario R. P. Novitiorum eo disponere curae suae commissum, ut, postpositis omnibus terrenis, nihil aliud agat, meditetur et faciat, nisi quod spiritus elevet ad Deum, ad Dei gloriam, et animae suae salutem quaerendam. His namque deficientibus vana sunt vota religiosa, periculosus status vivendi, nihilque certius quam, omnibus timenda, perditio aeterna. Oportebit ergo Novitio dare aliquem libellum meditationum ex bibliotheca, et in illo assignare ipsi pro mane et vespere aliquam lectionem spiritualem, et ab eo, pro commoditate temporis spiritualem expetere rationem. Ex Regula S. Ordinis, secundum quam facta professione religiosa illum oportebit vivere etiam illi certa facies debet ponderanda assignari, dubia explicari, et explicata ipse secum profunda mente ruminare; quearendo apud se, num ad eam observandam se, suamve naturam existimet fore capacem, et sufficientem. Bis quovis mense suo R.P. Novitiorum confiteatur et sacra Synaxi reficiatur. Qui postmodum toties quoties Praelato liberit (?), de facto rationem dabit. Concionem semper per totum die Dominico, et festo intererit, occupando locellum aliquem pro sessione in choro.

Ritus Ecclesiae, modum recitandi horas canonicas secundum rubricam Breviarij Romani, Cantum Gradualis, necnon Antiphonarij fideliter addiscat, et ut probe sciat operam dabit.

Libros ad decantandas horas canonicas, atque officium Missae, aperiat, cantum pro qualitate cujuslibet diei requirat et assignet, cantu finito libros rursum claudat, et debito loco secure deponat. In horis canonicis lectionem brevem, quae legenda fuerit: responsoria, et versus cum debita devotione cantabit.

Tempore S. Adventus, sicut etiam per totam hyemem, candelas pro choro ex dispensa petet, accendet, disponet, et finito choro convenienti loco reponet. Mane quoque hyemali tempore cuique RR.PP. lumen ad cubiculum media hora ante pulsum horarum feret. Singulis diebus sabbathinis, uti et in pervigilijs maiorum festivitatum, chorum et stallum Rmi Praelati purgabit. Ad nullam aliam Missam ministrabit nisi ad eam, quae celebrabitur mane finitis parvis horis. Post hanc se

439 n.

¹⁸ Tekst wg poszytu B.

statim conferet ad suum cubiculum, aut tempore frigidiori ad refectorium, et alicui lectioni vacabit.

Nulli operi sacristiae se immiscebit. Nisi necessitas id desideraret, quod etiam tunc fieri debet cum scitu R.P. Novitiorum ad certum tantum tempus.

Rssmo Domino Praelato et RR. PP. Confratribus ad mensam legat ijsque (lectione Martyrologij finita) residua mensae duratione in serviat.

Cibo sumpto ne fabulas, aut nugas tractet, sed ad cubiculum suum se conferat, ibique pia aliqua lectione se recreat. Absque licentia sui R. Patris Novitiorum neminem RR. PP. Confratrum, Parentum, fratrum, sororum et aliorum sanguine junctorum in cubiculum suum introducat, multominus ipse aliorum cellas intret. Hinc quoque non licebit illi alio in loco cum ipsis longiores miscere sermones.

Literas nullas a quocunque scriptas, per se recipiat, et aperiat, sed prius R.P. Novitiorum aperiendas, et perlegendas tradat. Nec ipse ulla cuiquam scribat, aut mittat, nisi illas prius Eidem R.P. Novitiorum legendas, et consveto sigillo obsignandas tradiderit, idque sub poena dimissionis ex Novitiatu.

Cum foeminis colloqui, et conversari, quemadmodum etiam cum famulis, et pueris, totaliter ipsi prohibetur.

Novarum rerum non sit studiosus, neque easdem hinc inde venari et aucupari studeat.

Singulis alternis Dominicis, et festis diebus in refectorio ad initium mensae loco lectionis, per unum quadrantem circiter, aliquam faciet exhortationem.

Culinam, Cellarium, Officinam Pistoris, stabulum equorum et his similia (nisi de speciali ratione) nunquam ingrediatur. Sine speciali licentia Praelati, aut in eius absentia R.P. Custodis, et sui R.P. Novitiorum, sive pro se sive pro socio numquam extra Conventum egrediatur.

Reverendissimo Domino Praelato sit obediens.

AA.RR.DD.PP. Eo usque se accommodet, quo occasionem capiant se (?) in suo sancto proposito, et commendandi et adiuvandi. R. P. Novitiorum directionem et mandata in omnibus reverenter excolet, et ad nutum observabit.

2. Directio diurna Novitiorum¹⁹

Pro muneribus exequendis, ac tempore fructuose impendendo.

Hora quinta mane in puncto surgent aut brevi ante, singuli se signo crucis, omnes suas functiones diei illius B. B. Virginis Mariae honori: S. Angeli Custodis suorumque S. Patronorum offerentes honeste se se induent ut mox ille in quo ordo pulsus est Ave Maria, pulset quemadmodum et hora duodecima ac vespertina.

Dimidia sexta preces Matutinas persolvent (prout assignatur) Litanias de Ssmo Nomine Jesu cum adjunctis collectis et mox se per orationem praeparatoriam ad piam Meditationem super assignata materia disponent, eamque juxta dictam Methodum usque prope dimidium quadrantem ad sextam, extra Adventum, protrahent. In hac meditatione semper suam vitam veterem saecularem, cum ea

¹⁹ Tekst wg poszytu A.

quam amplexuri sunt religiosa; Christi Domini vitam et conversationem, quam in terris ad exemplum nostrum gessit imitante, accurate conferendo, ad studium omnimode proficiendi plenius se disponent. Licet quandoque se etiam ad externum otium per decursum diei offeret occasio, semper se tamen ad interna (mentis occupatione salubri et ea quae animae sunt) conferant et si quae vitae suae inchoandae contraria invenerint, per purissimam resolutionem gratia DEI adstite funditus evellant, atque ad istam gratiae vocationis suae continuationem a DEO incessanter invocabunt, ad quod id ipsum juvabit, ubi suam defoecatam intentionem meritis sacratissimis Benignissimi Salvatoris unierit pluriumque Patronorum quorum patrocinia per sedulum eorum cultum implorabunt intercessione stipati fuerint.

Medio quadrante ad sextam omnes ad chorum conferent ac in loco suo genua flectent, Martyrologium in Choro sub horis canonicis ubi etiam Lectionem brevem is in quo Ordo dicet. Horis Canonicis in Choro persolutis omnes alternatim sacerdotibus celebraturis ministrabunt, reliqui studio Concionatorio ac Theologico-Morali vacabunt. Dimidio quadrante ad Nonam, illi, qui per ministerium occupati non sunt Chorum concedent horam canonicam persoluturi in ordine ad quam ille cui pulsus officium incumbit signum dedit semper campana majori sine pulsu minori campana dato.

Finita Hora in silentio legendo recolligant quas postea, eo tempore quod discursui concessum est disputando aut colloquendo conferant idque usque ad tertium quadrantem horae decimae ubi modeste colloquendo ut foris in ambitu non audiantur istum ultimum quadrantem consument ita tamen ut secundo pulso ad prandium omnes in refectorio, maxime Lector, adsint, ubi data benedictione, ille cujus officium erit, dicat consvetum: Jube Domne benedicere et sic jam omnibus in mensa collocatis et considentibus, facto signo Crucis, lectionem consvetam incipiat, eamque tamdiu continet donec Superior cessationis det signum: quo accepto librum clausum reponat et cum alijs modeste mensae assideat, sine ulla confabulatione, risu et signo levitatis, ita plane, ut licet Patres alij recreationis causa jocos vendant sive quocunque modo loquantur et rident (?) ipsi tamen quasi quid actum dictumve sit non attendere aut attendisse videantur. Comedent ergo consequenter et ultimo cibo sumpto, signo dato a P. Novitiorum surgere sint parati, et cujus officium est, Martyrologium legat et tandem reliquo tempore mensae omnes simul (nisi abire jubeantur) Reverendissimo Domino Praelato et reliquis Patribus inserviant.

Tempore Jejuniorum occupatio illis dabitur ex arbitrio P. Novitiorum illa hora, qua coenae (?) tempus protrahitur usque ad horam undecimam.

Finita Mensa omnes simul ad sua revertantur, datur enim usque ad horam duodecimam liberum exercitium et licentia de gravis materia honesta tamen et ad profectum quemdam serviente moderate sine strepitu et clamore discurrendi disputandive.

Hora duodecima ibunt ad Exercitium cantus choralis usque ad primam, cui addiscendo summam diligentiam adhibebuntur: Hoc exercitio finito illi studio se applicabunt cujus facultates absolverunt, aut si Exercitium Concionatorium faciendum instat, materiam aut conquirent aut conquisitam discutient et memoriae

mandabunt usque ad tertium quadrantem ad secundam ubi omnes tempestive praeter eum qui pulsaturus est in choro coram scammis, venientibus Patribus inveniuntur flectentes et orantes. Cantantes vora ita se moderate gerant, ut nec properare, neque protrahere verba nimirum audiantur sed conformiter singulis cantent et orent.

Vesperis finitis lectioni se se spirituali ex assignato libro accingat (?) usque post tertium quadrantem in quartam, ubi omnes praeter eum qui pulsaturus est, praedicto modo in choro comparentur ad orandum veluti consuetudo aut diversitas temporis cantandum.

Finito Matutino se rursus ad cubiculum conferant et lectioni pure spirituali pro illo tempore a P. Novitiorum assignata impendant, ut illo subinde veniente interroganti argumentum lectionis suae spiritualis dicere valeant. Studium hoc ab hora quinta usque ad tertium quadrantem ad sextam continuabunt, reliquum tempus, usque ad mensam animo quiescent, ut spiritibus vitalibus recte interim dispositis et sedatis, corpus ad cibum capiendum compareant, ut mensae praedicto modo intersint.

Coena finita et ministerium mensae peracto, iterum in Novitiatu comedit liberum exercitium qualitercunque cum honestate et sine strepitu clamoris vel cujusvis tumultus, quem si Magister Novitiorum excessivum judicaverit, invenerit aut aliumve accusative perceperit, sciant se poena arbitria puniendos. Tertio demum quadrante ad octavam ad preces vespertinas in templo, aut in hyeme loco alio, persolvendas se disponent, et ad locum destinatum recipient, iisdemque finitis statim ad cubacula sua recedentes, preces si quas adhuc habent, persolvent. Et si tempus illis pro examine conscientiae, tum cum alijs faciebant, non sufficisset, domi supplebunt, lumen caute extingvent. Seque in cubili modeste disponentes in pijs cogitationibus somnum in Deo capient ut tranquiliiori animo mane deinde experrecti primitias cogitationum suarum Magno DEO suo dare possint.

3. Directio chori

Quo ad pulsum ad Matutinum

Si est duplex, fit pulsus cum campana majori, et ultimo addunt aliqui ictus cum minori, si semiduplex fit pulsus cum mediocri et ultimo cum minori quod etiam servatur in simplicibus et diebus de Feria. Infra octavam fit pulsus sicut in duplici.

Ad horas mane

Mane hora sexta fit idem pulsus, solum cum minori campana fit pulsus ultimus.

Ad Vesperas

Fit pulsus cum una et quidem cum majori si est duplex aut infra octavam secus cum mediocri ac dein aliqui ictus addantur cum minori. In Sabbathi autem Dominica Festo aliquo aut pervigilio ubi Vesperae decantantur sive figuraliter sive choraliter semper pulsantur omnes campanae conjunctim.

Ad Completorium

Non pulsatur specialiter, quia immediate subsequitur Vesperas excepta quadagesima ubi vesperae (... *tu zniszczony górny wiersz*).. meridie dimidia quarta (si cantatur) secus tertio quadrante pulsatur ad Completorium sola majori campana.

Quod ipsum officium concernit

Facta dispositione pro choro reviso et notato officio illique diei flectet in suo loco ad scabellum non vero ad cancellos et praemittet consuetum Pater et Ave ad Vesperas, ad Matutinum vero et ad Horam primam additur Credo, nec citius surget usque dum Hebdomadarius incipiat Domine labia etc. ubi signatur os pollice et dum dicit Deus in adiutorium etc. signat se a fronte usque ad pectus. Ad Gloria Patri facit reverentiam capite et quotiescunque haec verba pronunciantur. Hymnus dicitur stando, finito Hymno se ponit suo loco ad recitandos Psalmos, absoluto quovis Nocturno Pater noster quod secreto et flexis semper genibus dicitur, ad Lectiones iterum se ponit, in tertio Nocturno dum ab Hebdomadario legitur Evangelium statur usque dum dicitur Et reliqua.

Te DEUM laudamus dicitur stando, usque ad illos 4. versos qui in Breviario notantur ubi flectant genua. Dum dicuntur collectas semper flectitur stando solo Hebdomadario et non surgitur usque finito officio ubi discessis omnibus reliquis primo ipse surgit et modeste abit etc.

III. BENEDICTIO VESTIUM VELAE VEL MANTELLI²⁰

Nomen est mihi Joannes Georgius Antonius Drescher. Natione Boëmus, Patria Arnaviensis, status civilis, aetatis 26 Annorum, ingressus sum sac. Religionem 16 Octobris Anno 1700 (indutus 28 Octobris 1700)²¹.

2. Bonam alias constitutionem Corporis habeo, laboravi stomochali feбри, cui domesticis medijs consului.

3. Sanitatem conservo confortativis stomachum praesertim infrigidatum vino reparo aut Cremore Tartari.

4. In visu nullam umquam debilitatem passus fui.

5. Sponsalia etiam nunquam contraxi nec tacite, nec expresse, nec ullo alio titulo, qui sufficeret ad fidem altari me obstringendo unquam usque fui.

6. (*pierwszy górny wiersz zniszczony*) ... parentes mei pervenerunt magnum (?) aetatem nullam notabilem [...] ... infirmitatem passi sunt nisi pie defunctus dominus Parens in hyeme valde se infrigidarat, totus quasi conjebatus (?) accessit calidissimum cubiculum praesertim autem fornacem, tactus apoplexia tandem restitutus sanitati postea mortuus est. Mater hactenus optime valet.

IV. DECLARATIO QUAESTIONUM ILLARUM, QUAE A SACRO ORDINE MELITENSIVM, CONVENTUI CRUCIGERORVM AD SS. PETRVM ET PAVLVM NISSAE, COMMUNICATA SUNT

Ad Quaestionem I^{ma} Quo tempore Religio Rubrae Crucis Hierosolimae fuerit inchoata?

²⁰ Kilka tego rodzaju oświadczeń tej samej treści, ale różnie sformułowanych z ok. 1700 r. dołączono do tekstu obrzędu obłóczyn z 1675 r.: Benedictio vestium velae vel mantelli.

²¹ Słowa w nawiasach dopisane inną ręką.

Respondetur. Post Resurrectionem, et Ascensionem Domini, S. Jacobum Minorem Alphaei filium Apostolum, qui frater Domini nuncupatus in Concilio Primo Apostolorum Hierosolimis celebrato, unanimi voce in primum Episcopum Hierosolimitanum fuisse electum, qui demortuo in Cruce Magistro suo Christo juravit se non comesturum panem, donec videret Dominum a mortuis surrexisse; Ipsa autem die Resurrectionis apparuit Ei Dominus, illisque qui cum eo erant dicens: ponite mensam et panem, quem accipiens more solito, benedixit Dominus, Jacobumque tunc dormientem ex somno excitans, dixit: Surge mi frater Jacobe, et comede panem, quia filius hominis a mortuis resurrexit; Et de latere suo sanctissimo accipiens pretiosum sanguinem, vestemque Ipsius albam duplicata insignivit Cruce. ita scribit S. Hieronimus de Viris Illustribus, Et antiquissima S. Ordinis Breviaria in primitiva Hierosolimitana Ecclesia usitata demonstrant. Quam Crucem postmodum Duodecim Ejus Discipuli assumpti, dicti Canonici et Custodes SS. Sepulchri in perpetuam rei memoriam, quod Christus pro hominum salute in Cruce passus et mortuus sit, etiam in veste alba, sinistro latere tulerunt, et de facto ferunt, exinde testes perpetui SS. Resurrectonis Dominicae futuri, uti in Actibus Apostolorum clare patet, ubi dicitur Actor: 1^o Oportet ex his Viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, testes ejus Resurrectionis nobiscum fieri. Primordia autem sui instituti Majores nostri ad tempora ipsorum Apostolorum semper referebant. Quae Religio Canoniorum, atque Custodum Ssmi Sepulchri Domini Hierosolymitani exinde appellatur, quod Hierosolymis ad Ssmi Redemptoris Nostri Sepulchrum initium et progressum suum habeat, Templumque Ipsum, et Patriarchalem Sedem longissimo tempore sub sua cura (1) retinent; Demonstrari enim potest, quod in Palestina praeter Patriarcham, et Archiepiscopos, 75 Episcopatus, et 25 Suffraganeatus habuerit, quae multis saeculis in primitiva Ecclesia, possidendo Cathedram Sancti Jacobi Apostoli primi Episcopi Hierosolymitani splendide floruit, donec Anno 1187. sceleratissimus Saladinus Hierosolymam occupasset, Basilicas, Coenobia, Ecclesias praedictae Religionis et Ordinis in stabula jumentorum vertisset, praeter Templum Salomonis olim celeberrimum à quo Tyranno totus Chorus Ssmi Sepulchri Hierosolymitani miserrime interfectus, exceptis tribus fratribus, qui Nave inventa, absque remigio Deo Duce ad Perusinam Civitatem incolumes pervenerunt, ubi Summo Pontifice invento, Sua Sanctitati excidium Terrae Sanctae lamentabiliter exposuerunt, quibus Summus Pontifex motus, in signum luctus habitum nigri coloris cum duplicata rubea Cruce imposterum ferendum eis concessit, prout habitus niger cum Cruce de facto portatur.

Ad Quaestionem 2^{dam}. Quando in Silesiam, Bohemiam, aut Moraviam perventa?

R. Quod primum in Polonia per Equitem opibus potentem de Miechow Dioecesis Cracoviensis, nomine Jaxam Anno 1162. devenerit, qui illo tempore, antequam praememoratus Saladinus hanc Religionem Sanctam extirpasset, contra Turcam in subsidium Terrae Sanctae, cum Familiaribus atque Armigeris suis strenue pugnavit;

reversurus in Poloniam, in perpetuum pignus devotionis erga SS. Sepulchrum, apud Patriarcham SS. Sepulchri Hierosolymitani, et ejus Conventum obtinuit, ut unus ex Canonicis suis in Polonia ordinem praedictum plantaturus mitteretur, unumque nomine Martinum in Poloniam secum adduxit, et praefato Ordini Miechow cum alijs bonis in dotem contulit; Ex quo loco mox ob splendorem virtutum, ac mirum Sanctitatis odorem, in Russiam, Prussiam, Hungariam, Boëmiam, Moraviam, Galliam, Belgium, Silesiam aliasque Provincias orientales, et occidentales mirifice piorum Christianorum auxilio propagatus est: Nissam vero circa Annum 1190. sub Boleslao Alto Duce Silesiae, antequam praedicta Urbs sub Episcopatum devenisset, pervenerat.

Ad Quaestionem 3^{iam}. A quibus Fundatoribus illic collocata?

R. Quod a S. Jacobo Minore Apostolo Fundatore Ordinis (qui Ordo postmodum Regulam S. Augustini assumpsit) Religio instituta per Boleslaum Altum Ducem in Silesiam introducta, successive per Episcopos Wratislavienses, et alios benefactores dotata et aucta sit.

Ad Quaestionem 4^{am}. Quot sint Conventus ibidem aut toto terrarum orbe?

R. In Silesia est Conventus Generalis Nissae, qui Conventus annexas habet Praeposituras, Conventum quondam celeberrimum Neo-Pragae ad SS. Petrum et Paulum in Zderasz, cui bona praestantissima (in valore aliquot centenorum millium) ablata sunt, ubi de facto tantum duo vix subsistere possunt; In Silesia Ratiboriae in Praepositura duo, et Reüchenbachij duo Patres existunt. Quo etiam pertinebat Franckensteinensis et Majoris Glogoviae, ubi Conventus per injurias temporum in nihilum, et in manus saecularium redactus est²². Quot autem toto terrarum orbe existant, ignoratur: Scitur tamen quod in alijs Regnis et Provinciis plurima sint Coenobia ab invicem independentia, sub certis superioribus, et Visitoribus Provincialibus, plerumque infula et Praelaturae dignitate insignitis; ita ut respectu illorum Conventus Nissensis probabiliter sit minimus.

Ad Quaestionem 5^{am}. Utrum omnes Conventus, uni Superiori, aut Praeposito subjaceant?

R. Patet ex superiori quod non, sed Bohemia et Moravia (ubi quondam Olomucii ad S. Petrum fuerant) sub Generalatum Nissensem spectat.

Ad Quaestionem 6^{am}. Quomodo Superior aut Praepositus eligatur?

R. Praepositus Nissensis eligitur libera electione Conventus, ad cujus electionem duo Deputati mittuntur ab Episcopo, sine jure eligendi, quibus nullum competit votum; Confirmatur autem Electus ab Episcopo, qui tunc temporis munere delegati Apostolici fungitur.

Ad Quaestionem 7^{am}. Utrum Religiosi emittant vota, Chorum observent et curam animarum exercent?

²² Szpital i konwent w Głogowie należał do zakonu Ducha Świętego de Saxia do 1527 r. Odstąpiony został przez ostatniego prepozyta radzie miejskiej. Zob. K. Dola, Opieka społeczna i zdrowotna w Głogowie do czasów pruskich, w: Misericordia et Veritas, red. J. Mandziuk — J. Pater, Wrocław 1986, 124—133.

R. Quod Generali Praeposito Nissae publice tria vota Paupertatis, Castitatis, et Obedientiae emittant, Chorum observent, et Curam Animarum exercent, quam a primitiva Ecclesia exercuerunt, quibus Privilegiis Summis Pontificibus gaudent.

Ad Quaestionem 8^{am}. An Ordinarii Loci Episcopo subiaceant in Spiritualibus, visitentur ab Ipso illorum Ecclesiae, et ab eodem Sacros Ordines percipiant?

R. Quod in temporalibus ratione bonorum subiaceant Episcopo. Quando Ecclesiae, necessitate compellente visitantur, utitur Episcopus, qua Delegatus Apostolicus autoritate Pontificia, a quo etiam sacros ordines, cum proprium Episcopum non habeant, accipiunt; possent tamen a quocunque Episcopo ordinari.

Ad Quaestionem 9^{am}. Quot hodierna die existant Religiosi?

Quoad in Praepositura Nissensi, cum externis in Praepositis, et Parochiis degentibus, moderno tempore viginti duo numerentur Professi Patres.

Ad Quaestionem 10^{am}. An Capitulum vel Congregationem annuatim celebrent, ubi et an ipsdem illorum Superior sit subiectus?

R. Quod saepius domestica Capitula, Generalia vero, quoties necessitas exigit, Praeside Praeposito Generali Nissensi celebrentur.

Ad Quaestionem 11^{am}. Quomodo et quo titulo tractetur Praepositus Superior?

R. Quod propter multa debita, moderno tempore Praepositus contentus sit mensa Conventuali satis frugali.

Ad Quaestionem 12^{am}. Utrum Praepositus et Superior secundum statum dignitatis, et Praelaturae subsistere possit, quibus sumptibus, et an bonis redditibus gaudeat, et omnes Conventus²³? *Tekst sie urywa.*

SPIS TREŚCI

Wstęp	53
Declarationes supra regulam	56
Regulae pro Novitiis	75
1. Instructio Novitiorum	75
2. Directio diurna Novitiorum	76
3. Directio chori	78
Benedictio vestium vel mantelli	79
Declaratio quaestionum	79

²³ O propozycji zakonu maltańskiego — joannitów za czasów prepozyta J. G. A. Conrada wspomina Fuchsz, dz. cyt., 439: przysłali bożogrobcom w Nysie "szereg punktów do przemyślenia". Może była to propozycja unii zakonów, do czego jednak nie doszło.